OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS VERSALIENSIS

TOMUS ALTER

FESTA MAII

Die 29 maii

S. Germani

Episcopi Parisiensis
et Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Germánus, apud Hæduos sæculo séptimo natus, présbyter ordinátus est et Abbas factus est monastérii Sancti Symphoriáni Augustodunénsis. Eusébio, Parisiórum Epíscopo, mórtuo sufféctus, nihil remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Multos vicos territórii nostri visitávit, ómnibus præbens boni pastóris exémplum, amans præsértim páuperum, et curans captivórum redimendórum. Adhuc viget Saváræ, Spenodéto-Villæ et Vici-Novi memória eius beneficéntiæ in ægros et míseros a dæmone vexátos. Vocátus pater et gregis médicus, obdormívit in Dómino, die maii vigésima octáva anno quingentésimo septuagésimo sexto, et in ecclésia quæ nomen eius servávit sub título Sancti Germáni a pratis sepúltus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti: da Ecclésiæ tuæ in eius natalício exsultánti, ut apud misericórdiam tuam exemplis eius protegátur et méritis. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Et, nisi S. Germanus sit Patronus loci aut Titularis ecclesiæ, fit commemoratio S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virginis:

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti: da; ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti: da Eccléśiæ tuæ in eius natalício exsultánti, ut apud misericórdiam tuam exémplis eius protegátur et méritis. Per Dóminum.

¶ Sicubi S. Germanus sit Titularis ecclesiæ vel Patronus loci, lectiones III Nocturni erunt sequentes:

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio vii Cap. 10, 11-16

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 138

Audívimus Dóminum Iesum commendántem nobis boni pastóris offícium. In qua commendatióne admónuit nos útique, ut intéllegi datur, bonos esse pastóres. Et tamen ne intellegerétur pervérso modo multitúdo pastórum: Ego sum, inquit, pastor bonus. Et unde sit pastor bonus consequénter osténdit: Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius autem, et qui non est pastor, videt lupum veniéntem, et fugit: quóniam non est ei cura de óvibus; mercenárius est enim. Pastor ergo bonus Christus.

Scanné avec CamScanner

Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti epíscopi Mártyres? Nonne omnes pastóres boni; non mercenárii, de quibus dícitur: Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam?

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. —Et.

Lectio viii

Dóminus unitátem comméndans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi iam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti Epíscopi? Omnes hi pastóres boni; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. —Et.Glória Patri.Et.

Lectio ix

Interrogémus Dóminum qualicúmque sensu, et humíllima disceptatióne cum tanto patrefamílias colloquámur. Quid dicis, Dómine, bone pastor? Tu enim bonus pastor qui bonus agnus; idem pastor et páscua, idem agnus et leo. Quid dicis? Audiámus, et ádiuva ut intellegámus. Ego sum, inquit, pastor bonus.

Te Deum laudámus.

Die 30 maii

S. Ioannæ de Arc

Virginis

Patronæ secundariæ Galliæ

II classis

Omnia ut in proprio Galliæ.

Et fit commemoratio S. Felicis I Papæ et Martyris.

FESTA IUNII

Die 3 iunii

S. Clotildis

Reginæ Francorum Viduæ

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Clotíldis Chilperíci regis fília, post paréntum necem a pátruo Gundobáldo, rege Burgundiórum, educáta, adhuc éthnico nupta est Clodovæo. Suscéptos ab eo líberos baptizári imperávit; sed

Scanné avec CamScanner

Francórum idólis adhæsit Clodovæus, donec in ácie Tolbiáca, ab Alemánnis fere iam profligátus, a Clotíldis Deo victóriam supplex deprecátus et adéptus est. Cui occúrrens regína, per Remígium sanctum antístitem, Clodovæum fidem edocéri procurávit, Rhemísque gaudens baptizátum aspéxit. Mórtuo rege, Turónes ad sancti Martíni túmulum secédens, summa pietáte vitæ réliquum exégit: ibíque plena diérum migrávit ad Dóminum.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Tu es Deus, qui facis mirabília. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam.

Ad Bened. ant. Cum invocásset Clotíldis * ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovæi regis.

Oratio

Réspice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus natiónem: et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; per eius intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

Die 7 iunii

B. Annæ a S. Bartholomæo Virginis

In civitate Pontisara (« Pontoise ») : III classis. In reliqua diœcesi: commemoratio.

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Anna a sancto Bartholomæo, in fínibus diœcésis Abulénsis nata, a puerítia ita pietáte flóruit, ut décimo ætátis suæ anno, dum pásceret oves haud semel in éxtasim rapta, præséntia Iesu Christi sub spécie infántis apparéntis recrearétur. Abulæ in monastério Sancti Ioseph Carmelitárum Excalceatárum, religióni mancipáta est, ad quam per visiónem se divínitus vocátam prænóverat. Ibíque prima fuit quæ inter láicas soróres allegerétur. Illam etsi

Scanné avec CamScanner

rudem atque humiliórem sancta Terésia labórum suórum, itínerum simul et consiliórum sóciam elégit, fovit, diléxit, et in eius ulnis recúmbens suávem vitæ efflávit ánimam. In Gálliam evocáta ad Terésiæ institútum propagándum, Anna, nigrum velum, corde invíta, sed dócilis Deo accépit. Pontisáræ monastérium fundávit cui per tres menses præfuit. Quátuor eréctis florentíssimis ascetériis, Parísiis, vidélicet, Pontisáræ, Turónibus, Antvérpiæ, admirábilis constántiæ exémplum dedit, in spíritu Terésiæ matris tuéndo ac confirmándo. Forma facta novi gregis, supernaturálibus donis insígnis, óperum simul et diérum plena, Antvérpiæ, die séptima iúnii, anni millésimi sexcentésimi vigésimi sexti sancto fine quiévit. Illam Benedíctus décimus quintus Póntifex Máximus beatárum vírginum albo adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Diffúsa est.

Ad Bened. ant. Símile est * regnum cælórum hómini negotiatóri quæ-rénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Deus, qui beátam Annam, Vírginem tuam, exímium humilitátis exémplar effecísti: concéde nobis fámulis tuis; ut illíus vestígia sequéntes, promíssa humílibus præmia cónsequi valeámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Diffúsa est.

Ad Magnif. ant. Veni, sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

FESTA IULII

Die 11 iulii

S. Theobaldi

Abbatis

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Theobáldus, Marliáci natus, orígenem ducens a claríssima Monmorenciórum prosápia, milítiæ adscríptus in iuventúte, vitæ piæ ratiónem inter arma mundíque illécebras semper illæsam retínuit. Tandem magis in dies sæculi pertæsus ad Cisterciénses in Valles Cernæas se cóntulit, ibíque vestem monásticam índuit. A frátribus propter egrégias virtútes Abbas eléctus

Scanné avec CamScanner

fuit. Huius mérita tam illústria erant ut sanctus Ludovícus rex, Guliélmus Parisiénsis epíscopus plurimíque álii insígnes viri summo Theobáldum honóre prosequeréntur. Ipsa regína Margaríta, se stérilem dolens, sancti Abbátis précibus vóluit commendári, et Theobáldi oratiónibus a Deo prolem impetrátam fuísse ómnibus persuásum fuit. Obdormívit in Dómino anno salútis millésimo ducentésimo quadragésimo séptimo.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Theobáldi Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Pii I, Papæ et Martyris:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Pium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio Intercéssio, ut supra.

Die 19 iulii

S. Vincentii a Paulo

Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Invit. Evangelizántem paupéribus Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

O qui supérnæ gáudia pátriæ
Haustu perénni plénius ébibis,
Ne sperne, Vincénti, tuórum
Vota, preces, gémitus cliéntum.

Futúrus olim paupéribus pater,
Discis vel infans paupériem pati:
Præstantióres transitúris
Divítias tibi Christus offert.

Primis sub annis se tibi mútuo
Intácta iunxit fœdere cástitas:
In corde puro caritátem
Relígio pietásque fovit.

Christum fidéli reddis imágine:
Sermóne, gressu, móribus éxprimis;
Christíque Matris dulce nomen
Obséquiis et amóre laudas.

Vinclis onústus, tartáreis herum
Solvis caténis; hinc tibi rédditus,
Noxis ligátos quot salúti
Restítuis, subigísque Christo!

Austeriórem dum sapiéntiam
Castígat orbis blanda serénitas,
Se corda subdunt, seque gaudent
Elóquio domináante vinci.

Latére gestis: spléndida non sinit
Latére virtus: régia te vocat,
Arcána tractas sacra regum,
Consílio monitísque prodes.

Doctrína puris édita fóntibus
Pervérsa constans dógmata réspuit:
Scuto retúndis veritátis
Mille malas novitátis artes.

Laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Compar tibi sit glória, Spíritus:
A se vocátos roboránti
Summus honor Dómino per ævum. Amen.

Ad Nocturnum

Ant. 1 Proficiébat atque crescébat, * et placébat tam Dómino quam homínibus.

Psalmi Nocturni de Communi Confessoris non Pontificis.

Ant. 2 Cum captus esset, * in captivitáte tamen pósitus viam veritátis non deséruit, et nunquam contaminátus est.

Ant. 3 Dóminus erat cum illo, * et ómnia ópera eius dirigébat.

Scanné avec CamScanner

Ant. 4 Tulit me Dóminus * cum séquerer gregem, et dixit Dóminus ad me: Vade, prophéta, ad pópulum meum.

Ant. 5 Annuntiábam * ut pæniténtiam ágerent, et converteréntur ad Deum, digna pæniténtiæ ópera faciéntes.

Ant. 6 Multi credéntium * veniébant confiténtes, et annuntiántes actus suos.

Ant. 7 Addúxit sacerdótes * atque levítas, et congregávit eos.

Ant. 8 Dixit ad eos: * Audíte me, levítæ, et sanctificámini, mundáte domum Dómini, et auférte omnem immundítiam de sanctuário.

Ant. 9 Egréssi autem * circuíbant per castélla, evangelizántes ubíque.

℣. Dóminus dabit voci suæ vocem virtútis. ℟. Date glóriam Deo super Israël.

Pater noster.

Absolutio Exáudi, vel Ipsíus vel A vínculis.

Bened. Ille nos.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. I, 17-25

Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis peréuntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam huius mundi? Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Iudæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Iudæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam: ipsis autem vocátis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus: et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. Cum ab infántia sua Deum semper timúerit, non est contristátus contra Deum quod plaga evénerit ei: * Sed immóbilis in Dei timóre permánsit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Venérunt flúmina, flavérunt venti, et non cécidit. — Sed.

Scanné avec CamScanner

Bened. Cuius festum.

Lectio ii Cap. 1, 26-2, 7

Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles; sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes: et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et iustítia, et sanctificátio, et redémptio; ut quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Et ego cum veníssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim iudicávi me scire áliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte, et timóre, et tremóre multo fui apud vos: et sermo meus, et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis; ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos: sapiéntiam vero non huius sæculi, neque príncipum huius sæculi qui destruúntur; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram.

℟. Iuxta manum Dei sui bonam super se, * Parávit cor suum ut investigáret legem Dómini, et fáceret et docéret in Israël præcéptum et iudícium. ℣. Devítans profánas vocum novitátes et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. — Parávit. Glória Patri. Parávit.

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Vincéntius a Paulo, Pódii in Aquitánia natus, iam a púero exímiam in páuperes caritátem præ se tulit. A custódia patérni gregis ad lítteras evocátus, et dein sacerdótio initiátus, in Turcas incidit, qui captívum in Africam abduxérunt; unde cum hero, ad fidem Christi redúcto, se erípuit et in Gálliam revérsus est. In paroéciis sibi commíssis et dein in trirémibus animárum salúti sédulo incúbuit. Moniálibus Visitatiónis per annos círciter

Scanné avec CamScanner

quadragínta máxima prudéntia præfuit. Evangelizándis paupéribus, præsértim rurícolis, ad decrépitam usque ætátem indeféssus incúbuit, eíque apostólico óperi tum se, tum alúmnos congregatiónis, quam sub nómine Presbyterórum sæculárium Missiónis instítuit, perpétuo voto a sancta Sede confirmáto obstrínxit. Plúrima ad perquiréndos et sublevándos míseros et ad sequióris sexus educatiónem sodalítia fundávit. Córporis demum afflictatióne, labóribus senióque attrítus, anno salútis millésimo sexcentésimo sexagésimo plácide obdormívit in Dómino. Eum miráculis clarum Clemens duodécimus inter Sanctos rétulit, et Leo décimus tértius ómnium societátum caritátis, in toto cathólico orbe existéntium et ab eo quomodocúmque promanántium, peculiárem apud Deum patrónum declarávit et constítuit. Iuvat in memóriam revocáre quam bono ánimo Vincéntius missiónes institúerit in Versaliénsis, Stampénsis, Sancti Germáni in Lida regiónibus, atque multis áliis vicis qui memória et eius exémplis honorificántur.

Te Deum laudámus.

¶ Sicubi hoc festum habeat tres Nocturnos, lectiones III Nocturni erunt ut infra notatur.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii
Cap. 9, 35-38 et 10, 1

In illo témpore: Circuíbat Iesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

In Cap. ix Matth.

Cernis quod æquáliter et villis, et úrbibus, et castéllis, id est, et magnis et parvis Evangélium prædicáverit; ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes, hoc habens óperis quod mandáverat Pater, et hanc esúriem ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni, et post prædicatiónem atque doctrínam curábat omnem languórem et omnem infirmitátem, ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Venérunt ad eum in hospítium plúrimi, * Quibus exponébat testíficans regnum Dei, suadénsque eis de Iesu ex lege Móysi et prophétis, a mane usque ad vésperam. ℣. Mónita salútis dabat eis, et consolabátur eos. — Quibus.

Scanné avec CamScanner

Lectio viii

Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti et iacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvium atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur: Messis quidem multa, operárii autem pauci; rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa populórum significat multitúdinem: operárii pauci penúriam magistrórum.

℟. Misit levítas et sacerdótes, * Docebántque habéntes librum legis Dómini, et circuíbant atque erudiébant pópulum. ℣. Profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte. — Docebántque. Glória Patri. Docebántque.

Lectio ix

Et ímperat ut rogent dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Isti sunt operárii de quibus lóquitur Psalmísta, dicens: Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua; veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. Et, ut apértius loquar, messis multa, omnis turba credéntium est; operárii autem pauci, et Apóstoli et imitatóres eórum, qui mittúntur ad messem. Te Deum.

Ad Laudes

Ant. 1 Erat vir ille * simplex et rectus ac timens Deum, et recédens a malo.

Psalmi de dominica.

2 Vir iustus * atque perféctus fuit in generatiónibus suis; cum Deo ambulávit.

3 Dedit * in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini.

4 Ipse est * diréctus divínitus in pæniténtiam gentis: gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

5 In opéribus bonis * testimónium habens, hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecútus est.

Capitulum Eccli. 18, 12

Miserátio hóminis circa próximum suum; misericórdia autem Dei super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus

Ut nunc ab alto prævia
Nos luce, Vincénti, regis,
Virtútis exémplo tuæ,
Signans ad astra trámitem!

Scanné avec CamScanner

Dilécta sponso vírginum
Corpus sacrávit cástitas;
Ornáre virtútum chorus
Mentem pudícam géstiit.

Hinc illa qua te déprimis
Sibi timens modéstia:
Hinc blanda morum lénitas,
Vitæque candor símplicis.

Sed inter omnes émicat
Quo fervet igne cáritas;
Quot illa pascit páuperes,
Quot corda Christo súbicit!

Ardénte zelo pércitus,
Late Dei mystéria
Per rura pandis; nec tamen
Curam poténtum déseris.

Te sensit error íntegra
Dolos repulsántem fide;
Te sensit infénsum scelus,
Tibíque cessit ímpotens.

Pii labóris ǽmulam
Prolem sub alis cóngregas:
Hanc voce, factis, móribus,
Dux et magíster édoces.

Qui se perénne prǽmium
Dat caritáte férvidis,
Uni sit et Trino Deo
Laus et perénnis glória.
Amen.

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induántur iustítiam.
℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Bened. ant. Operátus est bonum, * et rectum, et verum coram Dómino Deo suo in univérsa cultúra ministérii domus Dómini, iuxta legem et cæremónias, volens requírere Deum suum in toto corde suo.

Oratio

Deus, qui ad salútem páuperum et Cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua, per beátum Vincéntium, famíliam congregásti: da, quæsumus; ut eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Ad Horas minores, antiphonæ et psalmi de feria currenti.

Ad Tertiam

Capitulum Eccli. 18, 12

Miserátio hóminis circa próximum suum; misericórdia autem Dei super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

℟. br. Providébam Dóminum * In conspéctu meo semper. Providébam.
℣. Quóniam a dextris est mihi, ne commóvear. In. Glória Patri. Providébam.

℣. Servávi mandáta tua et testimónia tua. ℟. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Scanné avec CamScanner

Ad Sextam

Capitulum Exod. 18, 19

Esto tu pópulo in his quæ ad Deum pértinent, ut réferas quæ dicúntur ad eum, ostendásque pópulo cæremónias et ritum coléndi

℟. br. Servávi mandáta tua * Et testimónia tua. Servávi. ℣. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo. Et testimónia tua. Glória Patri. Servávi.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Ad Nonam

Capitulum Col. 3, 12-14

Indúite vos sicut elécti Dei sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam. Super ómnia autem hæc caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis.

℟. br. Dispérsit, dedit paupéribus, * Iustítia eius manet in sæculum sæculi. Dispérsit. ℣. Cornu eius exaltábitur in glória. Iustítia. Glória Patri. Dispérsit.

℣. Beátus qui intéllegit super egénum et páuperem. ℟. In die mala liberábit eum Dóminus.

Ad Vesperas

Ant. 1 Egéni * et páuperes quærunt aquas, et non sunt: Ego Dóminus exáudiam eos. Deus Israël, non derelínquam eos.

Psalmi de dominica, et loco ultimi psalmus 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Suscitábo * mihi sacerdótem fidélem, qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciet.

3 Lábia eius * custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore eius, quia Angelus Dómini exercítuum est.

4 Ædificábo * ei domum fidélem, et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus.

5 Inebriábo * ánimam sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur.

Capitulum Eccli. 18, 12

Miserátio hóminis circa próximum suum; misericórdia autem Dómini super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus

Quis novus cælis ágitur triúmphus?
Cælitum plausum comiténtur hymni:

Scanné avec CamScanner

Ecce lux Cleri, Pater indigéntum
Æthere splendet.
Facta, Vincénti, tua te perórnant:
Cáritas aptat cápiti corónam;
Teque, quam terris húmilis parásti,
Glória vestit.
Quam rudes olim pópulos docébas,
Véritas nunc se tibi tota pandit;
Páuperi quidquid pia dextra fudit,
Reddit Olýmpus.
Te sacerdótes vel adhuc magístro,
Optimum Christi réferunt odórem;
Púllulat per te sacra lætióri
Vínea fœtu.
Sed tibi quantum decus elabórant
Vírgines castæ, sociæque matres?
Páuperum gaudent, duce te, fidéles
Esse minístræ.
Corde qui puro míseros levábas,
Disce nunc votis hóminum rogári,
Te suum clamant ínopes, amíca
Turba, patrónum.
Summus æterno sit honos Parénti,
Par decus Nato míseros levánti;
Sancte, sit compar tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus.
℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Magnif. ant. Diléctus Deo * et homínibus, cuius memória in benedictióne. Símilem illum fecit Deus in glória sanctórum: glorificávit illum in conspéctu regum, et osténdit illi glóriam suam.

Oratio

Deus, qui ad salútem páuperum et Cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua, per beátum Vincéntium, famíliam congregásti: da, quæsumus; ut eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Completorium de feria.

FESTA AUGUSTI

Die 4 augusti

In solis ecclesiis quarum S. Exuperius (vulgo dicto saint Spire) est titularis.

S. Exuperii

Ep. Baiocensis et Conf.

I classis

Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

Scanné avec CamScanner

Die 8 augusti

S. Ioannis Mariæ Vianney Confessoris

III classis

Omnia ut in Breviario romano, præter antiphonas ad Bened. et ad Magnif.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Ipse est diréctus * divínitus in pæniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Ioánnem Maríam pastoráli stúdio et iugi oratiónis ac pæniténtiæ ardóre mirábilem effecísti: da, quǽsumus; ut, eius exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúndem Dóminum.

Et fit com. Ss. Mart. ut in Breviario.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Multi credéntium * veniébant confiténtes et annuntiántes actus suos.

¶ Ubi vero S. Ioannes Maria est Titularis ecclesiæ lectiones III Nocturni erunt sequentes:

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 9, 35-38

In illo témpore: Circuíbat Iesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

In Matth. 9

Cernis quod æquáliter et villis et úrbibus et castéllis, id est, et magnis et parvis Evangélium prædicáverit, ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes, hoc habens óperis quod mandáverat Pater: et hanc esúriem, ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni: et post prædicatiónem atque doctrínam curábat omnem languórem et omnem infirmitátem; ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor,

Scanné avec CamScanner

ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti, et iacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvium atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa populórum significat multitúdinem: operárii autem pauci, penúriam magistrórum. Et ut apértius loquar, messis multa, omnis turba credéntium est: operárii autem pauci, et apóstoli, et imitatóres eórum, qui mittúntur ad messem.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

Et convocátis duódecim discípulis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut eícerent eos, et curárent omnem infirmitátem. Benígnus et clemens Dóminus ac magíster non ínvidet servis atque discípulis virtútes suas. Et sicut ipse curáverat omnem languórem et omnem infirmitátem, Apóstolis quoque suis tríbuit potestátem ut curárent omnem languórem et omnem infirmitátem in plebe.

Te Deum laudámus.

Die 13 augusti

S. Radegundis

Reginæ Galliæ, Viduæ

Commemoratio

Ad Laudes: ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, cuius ope beáta Radegúndis aulæ delícias vitæ monásticæ austeritáte commutávit: da nobis, eius collucéntibus exémplis et suffragántibus méritis, terréna non sápere, sed amáre cæléstia. (Per Dóminum.)

Deinde fit commemoratio Ss. Hippolyti et Cassiani Martyrum:

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Die 15 augusti

In Assumptione B. Mariæ Virg.

Patronæ principalis Galliæ

I classis

Omnia ut in Breviario romano, additis iis quæ sequuntur ad VI lectionem (pro Comm. Voti Ludovici XIII):

Ludovícus décimus tértius, Francórum rex, memor gratiárum quas a Deo óptimo máximo, favénte Vírgine Deípara, fúerat consecútus, se súmque regnum solémni voto beátæ Maríæ Vírgini consecrávit. Quod votum Christianíssimi reges, avítam pietátem sectántes, exínde renovárunt.

Die 19 augusti

S. Ioannis Eudes

Confessoris

III classis

Omnia ut in Breviario romano, additis tamen ad lectionem III iis quæ sequuntur:

In território nostræ diœcésis, Ioánnes Eudes cum singulári fructu et eloquéntia verbum Dei prædicávit, scílicet in missiónum exercítiis Corbólii, Pontisáræ, Ablínguæ, necnon in Iubiláei statiónibus apud régiam aulam et Versáliis et Sancti Germáni in silva.

Scanné avec CamScanner

S. Ludovici

Regis Galliæ, Confessoris, Titularis ecclesiæ cathedralis et Patroni principalis diœcesis

I classis

Ad I Vesperas

Ant. 1 Virgam virtútis emíssam ex Sion * suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Psalmi de dominica, et loco ultimi psalmus 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hereditátem géntium, veritátem et iudícium exquisívit.

3 Dispérsit, * dedit paupéribus, iustítia eius manet in sæculum sæculi; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

4 Collocávit * eum cum princípibus pópuli sui, excélsus super omnes gentes Dóminus.

5 Reges terræ * et omnes pópuli, príncipes et omnes iúdices terræ laudent nomen Dómini.

Capitulum Esdr., 1, 7

Benedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Ierúsalem.

Hymnus

Rex summe regum, qui poténti númine,
Quo sunt creáta regna, nutu dívidis,
Dum thure fumant templa, voce pérsonant,
Audi profúsas regis in laudem preces.

Nascens in ipsa Ludovícus púrpura,
Sceptris avítis parvus ádmovet manus;
Piæque ductu matris, ignárus mali,
Servíre Christo discit ántequam ímperet.

Iusti sevérus cultor, urbes légibus,
Amóre cives cóntinens, hostes metu;
Pietáte cælum flectit, aras éxcitat;
Deoque templa, tecta nudis érigit.

Mox christiáni serus ultor sánguinis,
Eménsus æquor, inque littus bárbarum
Vexílla pandens, urget armis ímpios,
Unóque vitam pro Deo pacíscitur.

Scanné avec CamScanner

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque iubilátio,
In unitáte, quæ gubérnans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sæcula. Amen.

℣. Invéni servum meum.
℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Magnif. ant. Quæsívit Dóminus * sibi virum iuxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti: eius, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Iesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Completorium de dominica.

Ad Matutinum

Invit. Regem regum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte.

Hymnus Rex summe regum, ut supra 20.

In I Nocturno

Ant. 1 Diléctus Deo * et homínibus Ludovícus, cuius memória in benedictióne est, in lege Dómini meditátus est die ac nocte.

In tribus Nocturnis, psalmi de Communi Confessoris non Pontificis.

Ant. 2 Ego autem * constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præcéptum eius.

Ant. 3 Tu es, Dómine, * susceptor meus, glória mea et exáltans caput meum, super míllia pópuli circumdántis me.

℣. Prævenísti eum, Dómine. ℟. In benedictiónibus dulcédinis.

Pater. Absol. Exáudi.

Bened. Benedictióne perpétua.

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 7, 3-11

Ego natus accépi commúnem áerem, et in símiliter factam décidi terram, et primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involuméntis nutrítus sum, et curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus est ómnibus ad vitam, et símilis éxitus. Propter hoc optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ, et præpósui illam regnis et sédibus; et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus, nec comparávi illi

Scanné avec CamScanner

lápidem pretiósum; quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua; et tanquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam, quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa.

℟. Locútus es sanctis tuis, et dixísti, Dómine: * Exaltávi eléctum de plebe mea; manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Deus elégit patres nostros, et suscitávit illis regem, cui testimónium pérhibens, dixit. — Exaltávi.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 8, 9-15

Propósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres iúvenis; et acútus invéniar in iudício, et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me; tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient; et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo per hanc immortalitátem; et memóriam ætérnam his qui post me futúri sunt relínquam. Dispónam pópulos, et natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audiéntes reges horréndi: in multitúdine vidébor bonus, et in bello fortis.

℟. Ecce dedit vobis Dóminus regem: * Si timuéritis Dóminum et serviéritis ei, éritis et vos et rex qui ímperat vobis sequéntes Dóminum Deum vestrum. ℣. Deum timéte, regem honorificáte, quia sic est volúntas Dei. — Si.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 8, 21; 9-16

Et ut scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapiéntiæ scire cuius esset hoc donum, ádii Dóminum, et deprecátus sum illum, et dixi ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum et Dómine misericórdiæ, qui fecísti ómnia verbo tuo, et sapiéntia tua constituísti hóminem, ut dominarétur creatúræ quæ a te facta est, ut dispónat orbem terrárum in æquitáte et iustítia, et in directióne cordis iudícium iúdicet; da mihi sédium tuá-

Scanné avec CamScanner

rum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis; quóniam servus tuus sum ego et fílius ancíllæ tuæ, homo infírmus et exígui témporis, et minor ad intelléctum iudícii et legum; nam et si quis erit consummátus inter fílios hóminum, si ab illo abfúerit sapiéntia tua, in níhilum computábitur.

℟. Díssipat ímpios rex sápiens; misericórdia et véritas custódiunt regem, * Et roborábitur cleméntia thronus eius. ℣. Qui custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, et reget eas. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. 4 Fortis in bello, * máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgéntes hostes, quam glóriam adéptus est!

Ant. 5 Invocávit * Altíssimum poténtem, in oppugnándo inimícos úndique; et audívit illum magnus et sanctus Deus.

Ant. 6 Succínxit se * arma béllica sua in præliis, et protegébat castra gládio suo.

℣. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso. ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu eius.

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Ludovícus nonus, Francórum rex, Pisciáci natus et baptizátus, unde gloriabátur nómine Ludovíci Pisciacénsis, anno ætátis duodécimo patri Ludovíco succéssit, regnúmque sub tutéla Blanchæ, sapientíssimæ matris, administráre cœpit. Hæc fílium a púero sanctis documéntis institúerat, dícere sólita: Mallem, fili, te vita et regno privátum, quam lethális peccáti reum agnóscere. In ipso regni exórdio, viros spectátæ virtútis et prudéntiæ, cum e cléricis, tum e láicis, in consílium adhíbuit: et Albigénses perduélles, patérnis iam armis impetítos, subégit. Rebus cum finítimis princípibus compósitis, totum se divíno cúltui promovéndo dedit. Duéllo et blasphémiis pénitus exstirpándis incúbuit; histriónes et ioculatóres regno éxpulit. Benefícia ecclesiástica nónnisi probátis, ac præcípue per Ecclésiæ Parisiénsis cancellárium, persónis, neque iam áliud habéntibus, nisi illo abdicáto, conferébat. Adeo iustítiæ studiósus fuit, ut quacúmque transíret, illáta si qua

Scanné avec CamScanner

forent a comitátu damna, per Archidiáconum Parisiénsem aliósque notæ æquitátis viros inquíri iubéret ac resarcíri; et contra Saracénos profectúrus, mónitos per præcónem súbditos volúerit, ut qui læsi forte essent, ipsum adírent, ómnibus factúrum satis.

℟. Sancta in manu extraneórum facta sunt: vasa glóriæ nostræ captíva abdúcta sunt: * Quæ erat líbera facta est ancílla: quo ergo nobis adhuc vívere? Omnis qui zelum habet legis státuens testaméntum, éxeat post me. ℣. Ascendérunt gentes super latitúdinem terræ, et circuiérunt castra sanctórum et civitátem diléctam. — Quæ.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Trigésimo ætátis anno, gravi morbo afféctus Pontísaræ, accépta cruce ab Episcopo Parisiénsi, sacrum bellum vovit. Et post áliquot annos, contráctis ingéntibus cópiis, matri commíssa regni cura, mare traiécit. Atque ubi primum Saracénos in líttore adstántes conspéxit, e navi in mare ense distrícto congressúrus insíliit: fugatísque hóstibus, Damiátam victor intrávit. Sed debilitáto póstmodum ex lue exércitu, victus ipse captúsque est; neque, per totum captivitátis tempus, horárum canonicárum, quas ubíque cotídie persolvébat, recitatiónem intermísit Cum de pace actum est, ipse conditiónes Saracénis dedit miránti-bus quod victus victóribus leges impóneret. Pacto fœdere, rex cum exércitu liber dimíttitur: cumque in pecúnia numeránda, Saracénis non adverténtibus, errátum esset, íntegrum pecúniæ pondus solvi vóluit, violáti pacti alióquin reis. Annos deínde círciter quátuor, quo Saracénos ad servándas induciárum conditiónes adígeret, in Sýria commorátus, christiános multos e vínculis erípuit, Gentíles fídei præcéptis ímbuit, ac christianórum urbes áliquot et castra suis súmptibus instaurávit. Interim mater eius migrat e vita: cuius ut mortem accépit, in génua prócidens, obórtis lácrimis, hæc verba prótulit: Grátias tibi ago, Dómine, qui matrem únice diléctam, quam ad tempus commodáveras, recepísti; ita sit ut plácitum est coram te: sit nomen Dómini benedíctum.

Scanné avec CamScanner

℟. Custodívit illum Dóminus ab inimícis, * Et in vínculis non derelíquit illum, et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Erat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus eius. — Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

In Gálliam rédiens, navi prope Cyprum ad Syrtes allísa, coram sacra eucharístia, cuius in navi asservándæ facultátem a Legáto Apostólico obtinúerat, supplíciter orans, ab imminénte naufrágii perículo liberátus est. Cumque navis ad réliquum itíneris minus tuta a nautis renuntiarétur, rex pius, reiécta prócerum senténtia, in áliam transíre nóluit, ne sexcénti fere hómines qui, metu perículi, ex eádem navi descendíssent, in ínsula remanérent, inde nunquam aut vix reversúri; malle se dicens, cum líberis et uxóre, Deo áuspice, perículum adíre, quam sibi suísque cum tanto totque hóminum damno consúlere. Post réditum, piis opéribus impénsius stúduit. Plúrima Lutétiæ aliísque in locis ædificávit aut perfécit monastéria et páuperum hospítia. Frequens visébat ægrótos, quibus non súmptibus modo, sed et mánibus própriis ministrábat. In páuperes munificentíssime próvidus, virgínibus dotem, provínciis annónæ inópia laborántibus aliménta, univérsis egéntibus necessária suppeditábat. Veste vulgári utebátur; cilício et ieiúnio sæpe corpus affligébat. Cum in Africam traiecísset, bellum dénuo Saracénis illatúrus, iamque, capta Carthágine, castra prope Tunétum in eórum conspéctu posuísset, mortem imminére séntiens, documénta rege digna Christianíssimo sua manu conscrípta Philíppo fílio et successóri trádidit; illúdque Davídicum próferens: Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine, ánimam Deo réddidit apud Cartháginem, anno ætátis quinquagésimo quinto, Christi vero millésimo ducentésimo septuagésimo. Eum miráculis illústrem Bonifácius octávus sanctórum albo inséruit. Ossa eius apud Sanctum Dionýsium transláta sunt, caput Parísiis ad sanctam Capéllam, pars vero carnis apud Montem Regálem prope Panórmum in Sicília.

Scanné avec CamScanner

℟. Ipse est diréctus in pæniténtiam gentis, et * Tulit abominatiónes impietátis, et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et *In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Dei minister in bonum, vindex in iram ei qui malum agit. — Tulit. Glória Patri. In diébus.

In III Nocturno

Ant. 7 Habitábit confidénter * rex in tabernáculo Dómini, et in monte sancto Dei requiéscet.

Ant. 8 Desidérium cordis eius * tribuísti ei, tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Ant. 9 Sanctus Ludovícus * accépit benedictiónem et misericórdiam a rege glóriæ Dómino virtútum.

℣. Magna est poténtia eius in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Pater. Absol. A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-36

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

De Civit. Dei, l. 5, c. 24

Christiános quosdam imperatóres non ídeo felíces dícimus quia vel diútius imperántes fílios morte plácida reliquérunt, vel hostes reipúblicæ domuérunt, vel inimícos cives advérsus se insurgéntes et cavére et opprímere potuérunt. Hæc et alia vitæ huius ærumnósæ vel múnera, vel solátia, quidam étiam cultóres dæmonum accípere meruérunt, qui non pértinent ad regnum Dei, quo pértinent isti; et hoc ipsíus misericórdia factum est, ne ab illo ista qui in eum créderent velut summa bona desiderárent.

℟. Fecit quod erat bonum coram Dómino: non fuit símilis illi de cunctis régibus: adhæsit Dómino, * Et non recéssit a vestígiis eius. ℣. Fecit mandáta eius, unde et erat Dóminus cum eo. — Et.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Sed felíces eos dícimus, si iuste ímperant; si inter linguas sublímiter

Scanné avec CamScanner

honorántium et obséquia nimis humíliter salutántium non extollúntur, sed se hómines esse meminérunt; si suam potestátem, ad Dei cultum máxime dilatándum, maiestáti eius fámulam fáciunt: si Deum timent, díligunt, colunt; si plus amant illud regnum ubi non timent habére consórtes: si tárdius víndicant, fácile ignóscunt; si eándem vindíctam pro necessitáte regéndæ tuendæque reipúblicæ, non pro saturándis inimicitiárum ódiis, éxerunt; si eándem véniam, non ad impunitátem iniquitátis, sed ad spem correctiónis, indúlgent; si quod áspere cogúntur plerúmque decérnere, misericórdiæ lenitáte et beneficiórum largitáte compénsant; si luxúria tanto eis est castigátior, quanto posset esse libérior; si malunt cupiditátibus pravis quam quibúslibet géntibus imperáre.

℟. Memória Ludovíci in compositiónem odóris facta opus pigmentárii: * In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Ipse est diréctus divínitus ad pæniténtiam gentis. — In diébus peccatórum corroborávit pietátem. Glória Patri. In.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Et si hæc ómnia fáciunt, non propter ardórem inánis glóriæ, sed propter caritátem felicitátis ætérnæ; si pro suis peccátis, humilitátis, et miseratiónis, et oratiónis sacrifícium Deo suo vero immoláre non néglegunt, tales christiános imperatóres dícimus esse felíces ínterim spe, póstea reípsa futúros, cum id quod exspectámus advénerit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas minores

Ant. 1 Virgam virtútis emíssam ex Sion * suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Psalmi de dominica.

2 Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hereditátem géntium, veritátem et iudícium exquisívit.

3 Dispérsit, * dedit paupéribus, iustítia eius manet in sæculum sæculi; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

4 Collocávit * eum cum princípibus pópuli sui, excélsus super omnes gentes Dóminus.

Scanné avec CamScanner

5 Reges terræ * et omnes pópuli, príncipes et omnes iúdices terræ laudent nomen Dómini.

Capitulum Esdr. 1, 7

Benedíctus Dóminus, Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Ierúsalem.

Hymnus

Thure nunc fument, resonéntque cantu
Templa: deiécto Lodoícus hoste,
Quærit ætérnas, tibi militándo,
Christe, corónas.

Hic tuos ardet reparáre cultus;
Hic gregem avúlsum male sacro ovíli
Reddit: hic armis tua christiánis
Sacra tuétur.

Béllicæ vixdum memor ille laudis,
Cuncta qui subdis, tibi servit uni:
Imperes unus, satis imperábit,
Te duce, princeps.

Stat tua fidens ope, fortiórque
Sumit ex ipsis ánimos ruínis;
Iura dat victus, sedet inter ipsos
Arbiter hostes.

Summa laus summo super astra Patri:
Fílio compar hómini Deóque;
Nec tibi dispar, utriúsque sacri
Nexus amóris.
Amen.

℣. Invéni servum meum.
℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Bened. ant. In tentatióne * invéntus est fidélis: ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti: eius, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Iesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Ad Horas minores psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

Ad Primam

Ant. Virgam virtútis emíssam ex Sion * suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Ad Tertiam

Ant. Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hereditátem géntium, veritátem et iudícium exquisívit.

Scanné avec CamScanner

Capitulum Benedíctus, ut ad Laudes 28.

℟. br. Erudímini, reges, * Qui iudicátis terram. Erudímini. ℣. Servíte Dómino in timóre. Qui. Glória Patri. Erudímini.

℣. Rex qui sperat in Dómino. ℟. In misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Ad Sextam

Ant. Dispérsit, * dedit paupéribus, iustítia eius manet in sæculum sæculi; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

Capitulum Prov. 29, 14

Rex qui iúdicat in veritáte páuperes, thronus eius in ætérnum firmábitur.

℟. br. Rex qui sperat * In Dómino. Rex. ℣. In misericórdia Altíssimi non commovébitur. In Dómino. Glória Patri. Rex.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ. ℟. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini.

Ad Nonam

Ant. Reges terræ * et omnes pópuli, príncipes et omnes iúdices terræ laudent nomen Dómini.

Capitulum Eccli. 47, 11-12

Stare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos; et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

℟. br. Confiteántur tibi, Dómine, * Omnes reges terræ. Confiteántur. ℣. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini. Omnes. Glória Patri. Confiteántur.

℣. Deus, cánticum novum cantábo tibi. ℟. Qui das salútem régibus.

Ad II Vesperas

Ant. 1 Virgam virtútis emíssam ex Sion * suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur psalmus 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hereditátem géntium, veritátem et iudícium exquisívit.

3 Dispérsit, * dedit paupéribus, iustítia eius manet in sæculum sæculi; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

Scanné avec CamScanner

4 Collocávit * eum cum princípibus pópuli sui, excélsus super omnes gentes Dóminus.

5 Reges terræ * et omnes pópuli, príncipes et omnes iúdices terræ laudent nomen Dómini.

Capitulum Esdr. 1, 7

Benedíctus Dóminus, Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Ierúsalem.

Hymnus

Te sancte, rursus, Ludovíce, prælia
Divína poscunt; tu crucis clavum tenens,
Speíque sacras ánchora fundans rates,
Moves tyránnis bella, Christo mílitas.

Vincis cadéndo: mors tibi victóriam
Aufert et addit: corpus hic palmæ tegunt
Nondum sepúltum: pro triúmpho cælitum
Sedes parántur, pro coróna sídera.

Tuus patérnæ rédditus terræ cinis
Regnum tuétur, dum throno præsens Dei
Ætérna regnans pascis inter lília,
Favénsque blando nostra cernis lúmine.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque iubilátio,
In unitáte, quæ, gubérnans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Introíbo in domum tuam, Dómine. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Ad Magnif. ant. Operátus est bonum, * et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúia.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti: eius, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Iesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Completorium de dominica.

Die 31 augusti

B. Isabellæ

Virginis

Commemoratio

Ad Laudes: ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: in-

Scanné avec CamScanner

vénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Isabéllæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affféctu. Per Dóminum.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 2 septembris

BB. Ioannis Mariæ du Lau, Francisci Iosephi et Petri Ludovici de la Rochefoucauld Epp., ac Sociorum Martyrum

«Martyrum Septembris» cognomento

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Labénte sæculo décimo octávo, Gállica perturbátio efferátum ódium in veram Christi Ecclésiam, eiúsque minístros civílem cleri constitutiónem fórtiter improbántes, singulárem in modum concitávit. Centum nonagínta unus viri fidelitátem erga Sanctam Románam Ecclésiam strénue serváre satagéntes, Parísiis, mense augústo anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi, in quátuor cárceres violénter coniécti sunt in convéntu carmelitárum discalceatórum, in seminário Sancti Firmíni, in abbatía Sancti Germáni a pratis, et in ergástulo dicto «La Force». Miris pietátis et caritátis exercítiis ad mortem sese præparántes, primis diébus septémbris eiúsdem anni, ibídem illústri martýrio occubuérunt. Servórum Dei relíquiæ, atrócem in modum violátæ in commúne sepúlcrum proiéctæ fuérunt. In convéntu autem Carmelitárum, plura ossa póstea invénta in púteo obstrúcto in quem iniéctæ fúerant víctimæ in horto necátæ, transláta sunt in cryptam ecclésiæ, quæ sæpius per annum, diébus præsértim anniversáriis martýrii, a peregrínis frequentátur. Inter Mártyres recensémus, præter Pontífices Ioánnem Maríam du Lau, Francíscum Ioséphum et Petrum Ludovícum de La Rochefoucauld, sacerdótes in

Scanné avec CamScanner

Versaliénsi regióne natos, et plures qui in ecclésiis parœciálibus diœcésis nostræ animárum curam exercuérunt, sive párochos sive vicários aut capellános. Illos omnes cum sóciis, cléricis et láicis, Pius Papa undécimus fastis Beatórum solémniter adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Deus, qui Ioánnem Maríam, Francíscum Ioséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque sócios, cathólicam fidem et iura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti: eórum précibus concéde, ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Stephani Regis, Confessoris:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Concéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus: ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Exsultábunt.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti; et, quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio Deus, qui, ut supra.

Die 4 septembris

S. Iuliani Brivatensis

Martyris

Commemoratio

Versaliæ: Patroni principalis civitatis: I classis

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea quæ hic habentur propria.

Scanné avec CamScanner

Ad I Vesperas

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. ant. Iste sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

Deus, qui in corde beáti Iuliáni Mártyris ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adiuvánte despíceret: da nobis, ut cuius natalícia cólimus, intercessióne eius in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Completorium de dominica.

In I Nocturno, in civitate, lectiones Fratres, Debitóres de Communi plurimorum Martyrum cum responsoriis de Communi unius Martyris ibi notatis.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

S. Gregorius Turonensis de miraculis S. Iuliani Lib. 2, Cap. 1 et 2.

Inclitus martyr Iuliánus, qui, Viennénsi ortus in urbe Arvérnis datus est martyr, igne divíno succénsus nihil áliud concupívit, nihil tota mente desiderávit nisi, spretis mundi illécebris, iustítiæ vitam expedítus irréperet. Cum esset apud beatíssimum Ferréolum, iam tunc martýrii amóre flagrans, relíctis divítiis ac propínquis, Arvérnum advénit territórium. Sed nec hoc sine divíno mandáto perégit, cum tunc persecútio in Viennénsi urbe fervéret. Légerat enim Dóminum prædixísse: Si vos persecúti fúerint in ista civitáte, fúgite in áliam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum eo in fóveam: et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Sæviénte persecutióne ad Brivaténsem vicum, in quo fanátici erróris Noéniæ colebántur, advénit, et cum ínsequi adversários sensísset, a vídua quadam se occultári deprecabátur; sed mox persecutóribus occúrrens: Nolo, inquit, diútius morári in hoc sæculo, quia tota ánimi avidítáte

Scanné avec CamScanner

Christum sítio. Hæc loquénte Iuliáno, edúcunt carnífices vibránti déxtera frámeam, et, decíso cápite, in tres, ut ita dicam, partes martyr gloriósus divíditur. Nam caput Viénnam defértur, artus Briváte condúntur, felix ánima a Christo conditóre suscípitur. Senes quoque, qui sanctum corpus mancipavérunt sepultúræ, ita redintegráti sunt, ut in senectúte summa pósiti, tanquam iúvenes haberéntur. Caput quoque eius Ferréolus martyr accépit completóque certámine, tam huiúsce membra quam illíus caput in uníus túmuli receptáculo collocáta sunt.

℟. Desidérium ánimæ eius tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis; posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. — Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Ex témpore autem sancti Germáni Autissiodorénsis antístitis, et eius senténtia quinto caléndas mensis séptimi celebrári consuévit sancti mártyris dies natalícius. Constat vetéribus chrónicis, ecclésiam sancto Iuliáno dedicátam iam sæculo décimo exstitísse in pago ubi póstea cívitas Versaliénsis cóndita fuit. Hæc ecclésia áliquot canonicórum curæ crédita, tandem sequéntibus sæculis díruta est, eo círciter témpore quo cívitas innúmeris ædibus, et regáli præsértim palátio nobilitánda assurgébat. Non procul a véteri sancti Iuliáni paróchia, anno millésimo septingentésimo quadragésimo tértio erécta est sub nómine et patrocínio sancti Ludovíci regis ámplior basílica, quæ nunc diœcéseos Versaliénsis éminet cathedrális.

℟. Stola iucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput eius. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno homilia in Evangelium Nolíte arbitrári de Communi 3 loco.

Ad Laudes

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Deus, qui in corde beáti Iuliáni Mártyris, ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adiuvánte despíceret: da nobis, ut cuius natalícia cólimus, intercessióne eius in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Ad II Vesperas

℣. Iustus ut palma.

Ad Magnif. ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

In civitate, Completorium de dominica.

Die 5 septembris

In loco v.d.
« Luzarches » tantum

S. Æterni

Episcopi et Martyris

Commemoratio

Ad Laudes: ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit.
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, interveniénte beáto Ætérno, Mártyre tuo atque Pontífice, perpétua miseratióne proséquere: ut inter sæculi túrbines constitúta, et præsénti iucunditáte respíret, et ætérnæ beatitúdinis gáudia percípiat. Per Dóminum.

Die 7 septembris

S. Clodoaldi

Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Clodoáldus, Clodovæi magni, regis Francórum, nepos, pupíllus sub áviæ Clotíldis tutéla relíctus est. Qui vero, duóbus frátribus a pátruis necátis, cum ad símile exítium quæreréturr, ope virórum fórtium, imo protegénte Deo, servátus est. Itaque fuga elápsus, exhéres factus in terris, hereditátem quæ de cælo est toto ánimo concupívit: neque tam spretus a mundo quam mundum ipse spernens, sibi própria manu capíllos in signum contémpti regni incídit et, cléricus factus, divíno se cúltui mancipávit. Tum vitam egit duram et ásperam, sacrórum librórum lectióni crebrísque oratiónibus inténtus, et quod sibi réliquum erat, facultátum paupéribus distríbuit. Deínde Severínum

Scanné avec CamScanner

ádiit mónachum, qui, Parísiis cella inclúsus, divínæ contemplatióni vacábat, et ab eo mónachi hábitum accépit. Ab Eusébio epíscopo présbyter consecrátus, vitam eremíticam duxit in eo loco qui dicebátur Noviéntum, quem morte, sepultúra, miráculis ac nómine suo illústrem fecit. Te Deum.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui beátum Clodoáldum propter te humiliátum in sæculo, et sacerdótii múnere, et virtútum splendóre sublimásti: tríbue nos eius exémplo tibi digne ministráre, et per eius intercessiónem grátia semper et mérito profícere. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Die 9 septembris

S. Corbiniani

Episcopi et Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Corbiniánus, Castris nunc Arpaiónii, in território Versaliénsi, natus, in céllula quam ipse vicínam ecclésiæ sibi paráverat, sanctíssimam cum nonnúllis e domo sua fámulis vitæ ratiónem informáre stúduit. Ibi sacrárum litterárum meditatióne únice delectátus, ieiúniis, oratióne, vigíliis carnem domans, parcus sibi, in páuperes singuláriter munífícus, ómnium et ipsíus regis óculos et admiratiónem in se convértit. A Gregório Papa secúndo episcopále munus suscépit, in Gállia verbum salútis cum ubérrimo fructu prædicávit atque a Románo Pontífice in Bavária missus est ut pópulis istíus regiónis lumen Evangélii proférret. Frisíngæ consístens, primam ibi sedem episcopálem, Bavariórum Apóstolus, fixit. Tandem post annos

Scanné avec CamScanner

duódecim in pontificátu Frigénsi exáctos, innúmeris éthnicis ad fidem addúctis, virtútibus plenus, ábiit ad Dóminum, anno salútis septingentésimo vigésimo quinto, die septémbris octáva.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Corbiniáni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Gorgonii Martyris:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Sanctus tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessióne lætíficet: et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Exáudi, ut supra.

FESTA OCTOBRIS

Die 1 octobris

S. Remigii

Episcopi et Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Remígius, adhuc iúvenis, ob matúras virtútes ad Rheménsem cáthedram adéptus est. Francórum gentem, quorum regem Clodovæum sibi conciliáverat, ad Christi fidem perdúxit. Cum Tolbiáci Alemánnis iam céderent Franci, Clodovæus, invocáto nómine Dei Clotíldis regínæ, quæ erat christiána, statim hostes fugávit. Suadénti epíscopo

Scanné avec CamScanner

ut baptizarétur, respóndit rex se veréri ne pateréntur commilitónes ut deos pátrios relínqueret; sed exércitus eiúsdem fídei amplecténdæ studiósum se significávit. Ipsa ergo die Natáli Dómini, paucis annis ante sæculi quinti finem, Clodovæus Rhemis, ut vidétur, baptizátus est, simúlque tria míllia mílitum. Exímia fuit Remígii epíscopi erga páuperes liberálitas et cleméntia in pæniténtes singuláris: « Neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam sed ad hóminum curam. » Cum Ecclésiam suam septuagínta saltem annos prudénter rexísset, Rhemis obdormívit in Dómino die décima tértia ianuárii. Eius tamen memória die prima octóbris recólitur, quando sacrum ipsíus corpus fuit translátum.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Præsul Remígius * baptísmi témpora præparávit; et implétis mýsticis sacraméntis, regem cum pópulo baptizávit.

Oratio

Deus, qui per beáti Pontíficis Remígii documénta, gentem Francórum ab idolórum vanitáte ad veritátem tui cultus veníre tribuísti: da, quæsumus; ut qui nómine christiáno gloriámur, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Gentem * Francórum ínclitam, simul cum rege nóbili, beátus Remígius sacro mundávit gúrgite, et Spíritus Sancti plene ditávit múnere.

Die 3 octobris

S. Teresiæ a Iesu Infante

Virginis, Patronæ secundariæ Galliæ

II classis

Omnia ut in Proprio Galliæ.

Die 9 octobris

Ss. Dionysii Ep. et Sociorum, Martyrum

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Scanné avec CamScanner

Lectio iii

Dionýsius epíscopus, qui a Petri apóstoli successóribus verbi dívini sémina erogánda suscéperat, Parísios Dómino ducénte pervénit. Tantas per illum Dóminus dignabátur exercére virtútes, ut rebéllium corda gentílium non minus miráculis quam prædicatióne obtinéret, qui iugum Christi suáve impóni sibi, acti compunctióne, poscébant. Persecutiónis vero publicáta senténtia, impiórum gaudens turba contra domínicum pópulum pugnatúra conspírat. Itaque sanctum Dionýsium contra incrédulos dimicántem Parísiis reperérunt, quocum simul Rústicum et Eleuthérium persecutiónis furor invénit. In fídei pertinácia permanéntes, reddéntes terræ córpora, beátas cælo ánimas intulérunt. Ad Mártyrum límina concurrénte frequéntia peregrinórum, mox domni Dionýsii basílica habéri cœpit inter loca Sanctórum Gálliæ clarióra.

Te Deum laudámus.

¶ Sicubi S. Dionysius sit Titularis ecclesiæ vel Patronus loci, lectiones III Nocturni erunt sequentes:

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 16, 15-18

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 253, n. 1-2

Audístis quid díxerit Dóminus discípulis suis post resurrectiónem. Misit eos ad Evangélium prædicándum, et factum est: prædicátum est Evangélium, pervénit ad nos. Et ecce in omnem terram éxiit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Ambulándo et ambulándo, Evangélium pervénit ad nos, et ad fines terræ. Bréviter constítuit nobis, loquens discípulis suis, quid faciámus, quid sperémus. Ait enim: Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit. Exígitur a nobis fides, offértur salus. Pretiósum est quod nobis promíttitur. Sed quid? audi: Fílii hóminum sub tégmine alárum tuárum sperábunt; inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, et torrénte voluptátis tuæ potábis eos; quóniam apud te est fons vitæ. Christus est fons vitæ: fons vitæ venit ad nos, et fons vitæ mórtuus est propter nos. Negábit vitam suam, qui nobis erogávit mortem suam? Ipsa est salus, quæ non est vana. Quare? quia non transit.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas,

Scanné avec CamScanner

sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viii

Salvátor venit; mórtuus est; sed mortem occídit; sinívit in se quam timebámus; suscépit illam, et occídit illam. Ubi est mors? Quære in Christo, iam non est; sed fuit, et mórtua est ibi. O vita, mors mortis! Bono ánimo estóte; moriétur et in nobis. Quod præcéssit in cápite reddétur in membris; moriétur et in nobis mors. Sed quando? in fine sæculi, in resurrectióne mortuórum quam crédimus; qui enim credíderit, et baptizátus fúerit, ipse salvus erit. Séquere quod tímeas: qui autem non credíderit, condemnábitur. Ergo mors moriétur in nobis, victúra est in damnátis. Ubi mors nésciet mortem, sempitérna mors erit; quia ætérna torménta erunt. In nobis moriétur et non erit. Vultis nosse? Dico vobis pauca verba triumphántium, ut habeátis quod meditémini, quod corde cantétis, quod toto ánimo sperétis, quod fide et bono ópere requirátis.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix

Audíte verba triumphántium, quando non erit mors. Paulus Apóstolus dicit: Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem. Tunc fiet sermo qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Ista est mors mortis; absorbébitur ut non appáreat. Gáudeant triumphántes, gáudeant; dicant quod séquitur: ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, acúleus tuus? ubi est? Nonne confrégit illum Dóminus meus? O mors! quando Dómino meo hæsísti, tunc et mihi periísti. Ista salúte salvus erit qui credíderit, et baptizátus fúerit; qui autem non credíderit condemnábitur. Fúgite condemnatiónem, amáte et speráte salútem ætérnam.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad præ-

Scanné avec CamScanner

dicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: tríbue nobis, quæsumus; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla eius advérsa formidáre. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Ioannis Leonardi Confessoris:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Ioánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congregásti: da nobis fámulis tuis; ita eius institútis profícere, ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Ad Vesperas

℣. Exsultábunt.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio Deus, qui hodiérna, ut supra.

Die 23 octobris

S. Romani

Episcopi Rothomagensis et Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Románus, sexto sæculo rabeúnte, a piis et nobílibus paréntibus, in loco dicto Wy, dicœcésis Versaliénsis, natus est. In aulam Clotárii secúndi missus, castitátis, iustítiæ mansuetudinísque illústre fuit exémplar, et a rege inter primóres sanctióribus adésse consíliis iussus est. Mórtuo Antístite Rothomagénsi, commúni ómnium voto, renuntiátus est Románus Epíscopus. Templa idolórum evértit, sibi commíssas oves inspéxit atque contínuis labóribus debilitári non pátiens dicœcésim lustrávit, bonos prómovens ad melióra, malos a malis

Scanné avec CamScanner

révocans. Eam státuit in clero disciplínam, ut pudor esset súbditis a régula defléctere. Ipse, forma factus gregis, cibi et somni parcus, in sacris celebrándis pius et frequens, rerum divinárum iugi meditatióne ánimum refécit. Et vivens et mórtuus édidit signa, quibus óptimi pastóris sánctitas elúxit. Dum vixit pópuli Pater et norma cleri, post óbitum inter Sanctos et diœcésis Rothomagénsis præcípuos tutóres recólitur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui per beátum Románum, Confessórem tuum atque Pontíficem, non credéntem pópulum ad tui nóminis agnitiónem evocásti: méntibus nostris eándem infúnde fídei caritatísque virtútem; ut, cuius gloriósis semper adiuvámur præsídiis, sanctíssimis provocémur exémplis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Antonii Mariæ Claret Episcopi et Confessoris:

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Antónium Maríam Confessórem tuum atque Pontíficem, apostólicis virtútibus sublimásti, et per eum novas in Ecclésia clericórum ac vírginum famílias collegísti: concéde, quæsumus; ut, eius dirigéntibus mónitis ac suffragántibus méritis, animárum salútem quærere iúgiter studeámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Deus, qui per beátum Románum, ut supra.

Scanné avec CamScanner

FESTA NOVEMBRIS

Die 6 novembris

In ecclesiis consecratis, quando huius consecrationis dies non est certa et nota.

In Dedicatione propriæ ecclesiæ

I classis

Quando huius consecrationis dies est certa et nota, hac ipsa die, servatis servandis, anniversarium Dedicationis faciendum est.

Officium de Communi Dedicationis ecclesiæ.

Die 8 novembris

Commemoratio omnium Ss. Episcoporum et aliorum Sanctorum Diœcesis

III classis

Ad Matutinum

Invit. Auctórem fídei et consummatórem Iesum, qui glorificátur in sanctis suis, * Veníte, adorémus.
Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Hymnis dum résonat cúria cælitum,
Hic flemus pátriis fínibus éxsules:
Hic suspénsa tenémus
Mutis cántibus órgana.

Quando mens mísero líbera cárcere
Se vestris sóciam cœtibus ínseret:
Et, calígine pulsa,
Cæli lucem habitábimus?

Obscúræ fúgient mentis imágines,
Cum stantes própius lúminis ad iubar,
Nos verum sine nube
Ipso in fonte vidébimus.

Nobis, sancta cohors, sis bona: flúctibus
Luctántes médiis quos modo réspicis,
Da portus, duce Christo,
Da contíngere prósperos.

A quo cuncta fluunt máxima laus Patri:
Qui mundum réparat, máxima Fílio:
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.

Amen.

Ad Nocturnum

Ant. 1 Laudémus viros gloriósos, * et paréntes nostros in generatióne sua.

Psalmi e festo Omnium Sanctorum die 1 novembris.

Ant. 2 Elégit ipsos Dóminus * offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem pro pópulo suo.

Ant. 3 Super muros tuos, * Ierúsalem, constítui custódes; tota die et tota

Scanné avec CamScanner

nocte in perpétuum non tacébunt.

Ant. 4 Ipsi scitis, fratres, * intróitum nostrum ad vos: facti sumus párvuli in médio vestrum, tanquam si nutrix fóveat fílios suos.

Ant. 5 Mémores estis labóris nostri * et fatigatiónis. Nocte ac die operántes, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

Ant. 6 Deprecántes vos, * testificáti sumus ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum et glóriam.

Ant. 7 Nunc ergo, * o fílii, æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum.

Ant. 8 Mementóte præpositórum vestrórum, * qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Ant. 9 Mementóte óperum patrum, * et accipiétis glóriam magnam, et nomen ætérnum.

℣. Iusti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Pater. Absol. Exáudi vel Ipsíus vel A vínculis.

Bened. Ille nos.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos

Lectio i Cap. 12, 1-5

Tantam habéntes impósitam nubem téstium, deponéntes omne pondus, et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspiciéntes in auctórem fídei, et consummatórem Iesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiónem, ut ne fatigémini, ánimis vestris deficiéntes. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis, advérsus peccátum repugnántes.

℟. Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros: * Dívites in virtúte, glóriam adépti sunt. ℣. Dedúxit illos Dóminus in viam rectam, ut irent in civitátem habitatiónis. — Dívites.

Bened. Quorum festum cólimus, ipsi...

Lectio ii Cap. 12, 12-15, 22-25

Propter quod remíssas manus et solúta génua erígite; et gressus rectos fácite pédibus vestris, ut

Scanné avec CamScanner

non cláudicans quis erret, magis autem sanétur. Pacem sequímini cum ómnibus, et sanctimóniam, sine qua nemo vidébit Deum: contemplántes ne quis desit grátiæ Dei: ne qua radix amaritúdinis sursum gérminans impédiat, et per illam inquinéntur multi. Sed accessístis ad Sion montem et civitátem Dei vivéntis, Ierúsalem cæléstem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, et ecclésiam primitivórum qui conscrípti sunt in cælis, et iúdicem ómnium Deum, et spíritus iustórum perfectórum, et testaménti novi mediatórem Iesum, et sánguinis aspersiónem mélius loquéntem quam Abel. Vidéte ne recusétis loquéntem. Si enim illi non effugérunt, recusántes eum qui super terram loquebátur, multo magis nos, qui de cælis loquéntem nobis avértimus.

℟. Odiéntes malum, caritáte ínvicem diligéntes, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, patiéntes, oratióni instántes, humílibus consentiéntes, * Providébant bona non tantum coram Deo, sed étiam coram homínibus. ℣. Sollicitúdine non pigri, nulli malum pro malo reddéntes. — Providébant. Glória Patri. Providébant.

Bened. Ad societátem.

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis

In translatione S. Malachiæ, Ep. Sermo II circa medium.

Lectio iii

Congratulémur, fratres, congratulémur, ut dignum est, paréntibus nostris; quia pium est defúnctos plángere, et pium magis congaudére vivéntibus. Numquid non vivunt? Et beáte. Nimírum visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace. Dénique iam concíves sanctórum et doméstici Dei, psallunt et agunt grátias dicéntes: Transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium. Transiérunt plane viríliter, et felíciter pertransiérunt. Transiérunt per ignem et aquam, quos nec tristítia frángere, nec detinére móllia potuérunt. Lætémur quod Angeli nostri ascendérunt ad cives suos, pro fíliis captivitátis legatióne fungéntes, corda nobis conciliántes Beatórum, vota illis intimántes miserórum. Lætémur, inquam, et exsultémus, quia cæléstis illa cúria ex nobis habet, quibus sit cura

Scanné avec CamScanner

nostri, qui suis nos prótegant méritis, quos informárunt exémplis, miráculis confirmárunt.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Psalmi de dominica.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus * et ánimæ iustórum, hymnum dícite Deo nostro.

5 Fulgébunt iusti * sicut sol in conspéctu Dei.

Capitulum Tob. 2, 18

Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

Hymnus

Iesu, Redémptor ómnium,
Vitæ beátæ prǽmium,
Vultu pio nos áspice,
Tua Paránte súpplice.

O purpuráti Mártyres,
Iam laureáti mílites,
Christi redémptos sánguine
Iuváte Christi nómine.

O quos beat conféssio,
Votíva quos proféssio,
Et quos erémus prótulit,
Nos vestra salvet cáritas.

Vos, castitátis gérmina,
Fœcúnda cælis ágmina,
Carnis solútos néxibus
Locáte sanctis sédibus.

Arcéte gentes ímpias,
Oves vocáte dévias.
Sit pastor unus ómnium,
Unúsque grex fidélium.

Præsta, beáta Trínitas,
Nos sanctitátis sémitas,
Pulsis salútis hóstibus,
Tutis tenére gréssibus.
Amen.

℣. Iustos dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Bened. ant. Vos estis lux mundi: * non potest cívitas abscóndi supra montem pósita; neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt.

Oratio

Dómine Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam: et, quorum recólimus gloriósa so-

Scanné avec CamScanner

lémnia, tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Et fit commemoratio Ss. quatuor Coronatorum, Martyrum:

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Ad Horas minores, antiphonæ et psalmi de feria currenti.

Ad Tertiam

Capitulum Fílii sanctórum, ut supra 46.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte, iusti. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exsultáte, iusti. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent iusti in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Oratio Dómine Deus noster, ut supra 46.

Ad Sextam

Capitulum 1 Thess. 4, 1

Fratres, rogámus vos et obsecrámus in Dómino Iesu, ut quemádmodum accepístis a nobis quómodo opórteat vos ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis.

℟. br. Exsúltent iusti, * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In. Glória Patri. Exsúltent.

℣. Iusti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Oratio Dómine Deus noster, ut supra 46.

Ad Nonam

Capitulum Hebr. 13, 17

Obedíte præpósitis vestris et subiacéte eis: ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

℟. br. Iusti autem * In perpétuum vivent. Iusti. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In. Glória Patri. Iusti.

℣. Exsultábunt iusti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio Dómine Deus noster, ut supra 46.

Scanné avec CamScanner

Ad Vesperas

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Psalmi de dominica sed loco ultimi psalmus 115 Confísus sum vel Crédidi (feria II ad Vesperas).

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus * et ánimæ iustórum, hymnum dícite Deo nostro.

5 Fulgébunt iusti * sicut sol in conspéctu Dei.

Capitulum Tob. 2, 18

Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

Hymnus

Cælo quos éadem glória cónsecrat,
Terris vos éadem concélebrat dies:
Læti vestra simul prǽmia dícimus
Duris parta labóribus.

Iam vos pascit amor núdaque véritas,
De pleno bíbitis gáudia flúmine;
Illic perpétuam mens sátiat sitim
Sacris ébria fóntibus.

Excélsis hábitans in penetrálibus
Se Rex ipso suo contúitu beat;
Illabénsque sui pródigus, íntimis
Sese in méntibus ínserit.

Altári médio, cui Deus ínsidet,
Agni fumat adhuc innócuus cruor:
Quæ mactáta Patri se semel óbtulit,
Se perpes litat hóstia.

Pronis turba senum cérnua fróntibus,
Inter tot rútili fúlgura lúminis
Regnánti Dómino dévovet áurea,
Quæ ponit, diadémata.

Gentes innúmeræ, conspícuæ stolis
Agni purpúreo sánguine cándidis,
Palmis læta cohors, cántibus ǽmulis
Ter sanctum célebrant Deum.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Sit par, sancte, tibi, laus quoque, Spíritus,
Qui das pro méritis, óptimus árbiter,
Te totum simul ómnibus.
Amen.

Scanné avec CamScanner

℣. In cæléstibus regnis sanctórum habitátio est. ℟. Et in ætérnum réquies eórum.

Ad Magnif. ant. Amávit eos Dóminus * et ornávit eos; stolam glóriæ índuit eos; et ad portas paradísi coronávit eos.

Oratio

Dómine Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam: et, quorum recólimus gloriósa solémnia, tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam. Per Dóminum.

Completorium de feria.

Die 12 novembris

In Dedicatione ecclesiæ cathedralis

I classis

Omnia de Communi Dedicationis ecclesiæ.

Die 13 novembris

S. Martini I

Papæ et Martyris
(e die 12)

III classis

Officium ut in Breviario, die 12 novembris.

Et ad Laudes fit commemoratio S. Didaci Confessoris:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius humilitáti nostræ; ut, piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

Die 21 novembris

In Præsentatione B. Mariæ V.

III classis

Omnia ut in Breviario romano, præter hymnum proprium ad Vesperas.

Hymnus

Quam pulchre gráditur
fília Príncipis,
Templi cum próperat límina tángere!
Prælúdit melióri,
Quam mox ófferet hóstiam.

Scanné avec CamScanner

E matris grémio, Núminis in sinum
Infans non dúbiis pássibus ádvolat;
Virgo Núminis ara,
Aris víctima sístitur!

Sponso membra Deo móllia dévovet;
Cordis virgínei dédicat íntima;
Verbo débita mater,
Verbo víscera cónsecrat.

Tecum cuncta Deo pródiga dum voves,
Numen, Virgo, tui péctoris íncola,
Quanto fœnore pensat
Terræ quæ bona déspicis?

Quid nos illáqueant ímproba gáudia?
Cur iam nos pígeat víncula rúmpere?
Dux est Virgo sacérdos,
Fas sit quo próperat sequi.

Ergo nunc tua gens se tibi cónsecrat;
Ergo nostra manes pórtio, tu Deus,
Qui de Vírgine natus,
Per nos sæpe renásceris.

Sit supréma tibi glória, Trínitas;
Quo Virgo téneram se vovet hóstiam,
Puri flamen amóris,
Fac nos iam tibi vívere.
Amen.

Die 27 novembris

In Manifestatione Imm. Virginis Mariæ a Sacro Numismate

III classis

Ad Matutinum

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum eius Fílium adorémus Dóminum. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Tutéla præsens ómnium,
Salvéto Mater Núminis;
Intácta in Hevæ fíliis,
Tu fœda mundes péctora.

Numísma quos ornat tuum
Fove benígno lúmine;
Virtus sit inter prælia
Ægísque in hostes præpotens.

Sit fléntibus solátium,
Ægris levámen ártubus;
In mortis hora, fúlgidæ
Æternitátis spónsio.

Iesu, tuam qui fíniens
Matrem dedísti sérvulis,
Precánte Matre, fíliis
Largíre cæli gáudia.
Amen.

Scanné avec CamScanner

Ad Nocturnum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Parísiis, anno millésimo octingentésimo trigésimo, Beatíssima Dei Mater sanctæ Catharínæ Labouré, Vincentiánæ Puellárum a Caritáte sodáli, appáruit, eidémque mandávit ut, ad visiónis exémplar, in honórem suæ Immaculátæ Conceptiónis numísma cuderétur. Ea scílicet lege, ut in illo Vírginis prostáret effígies innóxio pede serpéntis caput conteréntis, mánibus vero pátulis subiéctum terræ orbem rádiis illustrántis; circum ea inscrípta prece: « O María sine labe concépta, ora pro nobis qui ad te confúgimus. » Cuius in avérsa fronte, crucis signum sacrosáncto insístens Maríæ nómini effingéndum, bínaque inférius corda, álterum spinis præcínctum, álterum gládio transverberátum. Cum iubénti Vírgini puélla paruísset, ádeo huiúsmodi imágines gestántibus Deípara favit ut sacrum Numísma passim « a miráculis » appellári cœptum sit. Inter quæ, illa præ céteris memoránda, Alfónso Ratisbonne, iudáicis orto paréntibus, in Romána sancti Andréæ ecclésia, vulgo « delle Fratte », ipsíus Vírginis apparítio. Quocírca, et in Immaculátam eius Conceptiónem late aucta est christiáni pópuli devótio, dogmática paulo post definitióne firmánda. Cuius manifestatiónis festum, Leo décimus tértius Vincentiánis sodálibus concéssit quotánnis celebrándum, idémque indúltum ad Epíscopos ac Religiosórum famílias peténtes exténdit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

Antiphonæ et psalmi de feria currenti.

Capitulum Prov. 8, 22-24

Dóminus possédit me in ínitio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram.

Hymnus

O gloriósa vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Scanné avec CamScanner

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti iánua
Et aula lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

Iesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. O María, sine labe originâli concépta. ℟. Intercéde pro nobis, qui ad te confúgimus.

Ad Bened. ant. Pósuit in ea * verba signórum suórum et prodigiórum suórum in terra.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Matrem tuam ab orígine immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti: concéde; ut, eiúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna. Qui vivis.

Ad Horas minores, antiphonæ et psalmi de feria currenti.

Ad Primam in responsorio brevi, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad Tertiam

Capitulum Prov. 8, 22-24

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram.

℟. br. Deus omnípotens * Præcínxit me virtúte. Deus. ℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Præcínxit. Glória Patri. Deus.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Ad Sextam

Capitulum Ezech. 44, 2-3

Porta hæc clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israël ingréssus est per eam: erítque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. br. In hoc cognóvi * Quóniam voluísti me. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Quóniam vo-

Scanné avec CamScanner

luísti me. Glória Patri. In hoc.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me.

Ad Nonam

Capitulum Apoc. 12, 1

Signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

℟. br. Exaltábo te, Dómine, * Quóniam suscepísti me. Exaltábo. ℣. Nec delectásti inimícos meos super me. Quóniam. Glória Patri. Exaltábo.

℣. Immaculáta Concéptio tua, Dei Génetrix Virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo.

Ad Vesperas

Antiphonæ et psalmi de feria currenti.

Capitulum Dóminus possédit, ut supra 52.

Prima stropha sequentis hymni dicitur flexis genibus.

Hymnus

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut, vidéntes Iesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Signum magnum appáruit in cælo. ℟. Múlier amícta sole et luna sub pédibus eius.

Ad Magnif. ant. Sancta María, * succúrre míseris, iuva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum iuvámen, quicúmque célebrant tuum sanctum Patrocínium.

Completorium de feria.

Scanné avec CamScanner

FESTUM DECEMBRIS

Die 1 decembris

S. Eligii

Episcopi et Confessoris

Commemoratio

Ad Laudes: ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, fidélium lumen et pastor animárum, qui beátum Elígium Epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo: da nobis eius intercessióne; et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit. Qui vivis.

¶ Ubi S. Eligius est Titularis ecclesiæ:

In I Nocturno lectiones Fidélis sermo de Communi I loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Elígius Lémovix áurifex erat, et perítiæ eius fama Clotério secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte. Itaque, cum artem exercébat, mente Deo vacábat. Hinc tantus ad eum fiébat páuperum concúrsus ut quæránti domum Elígii dicerétur: ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Intra domum vacábat oratióni cum familiáribus. Callíaci ad Yvéttam, ut ab aulæ tumúltu recéderet, sibi paráverat prædium, quod póstea in priorátum convérsum est. Non minus accéptus est a Dagobérto quam a Clotério patre. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Parísiis monastérium virginum constrúxit et instaurávit basílicam sancti Martiális. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto et gemmis ornávit sepúlcra sanctórum, Germáni vidélicet, Severíni, Martíni, Dionýsii, Genovéfæ et aliórum. Consecrátus epíscopus a sancto Audoéno et diœcési Novioménsi præpósitus, salúti gregis sibi commíssi consúluit. De ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem exstirpávit. Frísios ad Christum addúxit. Sedit in concílio Cabillonénsi sub Clodovæo secúndo. Septuagenárius Noviómi óbiit, postquam cantáverat « Nunc dimíttis ».

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Scanné avec CamScanner

Sermo sancti Máximi Epíscopi

Homilia 59, quæ est 2 de S. Eusebio Vercellensi

Lectio v

Ad sancti ac beatíssimi Patris nostri Elígii cuius hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est; síquidem virtútum eius grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens; quantæ huius sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia et devotióne lætátur? In Christo enim Iesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Pósui adiutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

Quidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et grátiæ, de hoc, quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim, quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat prædítus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit affectum; quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína eius repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno homilia in Evangelium Homo péregre, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

Scanné avec CamScanner

APPENDIX

INDICIA DE SANCTIS QUORUM FIT SOLA COMMEMORATIO

13 Augusti. S. RADEGUNDIS, Clotarii regis sponsa, pie apud Pictavos (Poitiers) se recessit, ibique monasterium Sanctæ Crucis VII° sæculo instituit.

31 Augusti. B. ISABELLA, sancti Ludovici regis soror, monasterium Longi-Campi (Longchamp, près de Paris) instituit, ubi animam Deo reddidit.

5 Septembris. S. ÆTERNUS, dictus Ebroicensis (Évreux), martyr occubuit; cuius corpus Luzarcæ (Luzarches) allatum et conditum esse traditur.

8 Novembris. Hac die, una cum ceteris diœcesis beatis, honorificantur illi viri antiquiores, Nicasius, Ionius et alii, quorum vita est pæne ignota, sed a quibus Ecclesia in finibus nostris plantata est.

1 Decembris. S. ELIGIUS (Eloi) sæpius Calliaci ad Yvettam (Chilly-Mazarin) commoratus est, et VII° sæculo episcopus Noviomensis (Noyon) creatus est.

Scanné avec CamScanner

INDEX LOCORUM DE QUIBUS FIT MENTIO IN OFFICIIS PROPRIIS

Abbatis Villa, Abbeville
Ablingua, Ableiges (près de Marines)
Abulensis, d'Avila
Ædui, les Éduens (Côte d'Or, Saône et Loire, Nièvre)
Alensonium, Alençon
Ambianensis, d'Amiens
Antverpia, Anvers
Arpaionium, Arpajon
Arvernia, Auvergne
Aurelia, Orléans
Augustodunum, Autun
Autissiodorensis, d'Auxerre

Bavaria, la Bavière
Bituricensis, de Bourges
Braunatis, Brunoy
Brivatensis, de Brioude (Haute Loire)
Burgundi, les Bourguignons

Cabillonencis, de Châlon-sur-Saône
Cainocensis, de Chinon
Calliacum ad Yvettam, Chilly-Mazarin
Carolus Locus, Charlieu (Loire)
Compendium, Compiègne
Corbolium, Corbeil
Cyprum, île de Chypre

Damiata, Damiette (Turquie)

Fons Ioannis, Fontainejean (Loiret)
Fontanellis, Fontenelle
Filliaci-Cortis, Feuillancourt (hameau de St-Germain-en-Laye)
Frisii, les Frisons (Hollande et Prusse rhénane)
Frisingæ, Frisinge (Bavière)

Grandis Mons, Grandmont, en Limousin.

Lapurdensis, de Lourdes
Lemovicensis, de Limoges
Lexoviæ, Lisieux
Lutetia, Paris

Marliacum, Marly-le-Roi
Meldensis, de Meaux
Mellentum, Meulan

Scanné avec CamScanner

Nemptodurum, Nanterre
Nivernum, Nevers
Novientum, Nogent, aujourd'hui Saint-Cloud
Novionum, Noyon

Panornum, Palerme (Sicile)
Pisciacum, Poissy
Pontisara, Pontoise

Quintolium, Quincy-sous-Sénart

Rhemi, Reims
Rhotomagum, Rouen

Savara, Sèvres
Spenodeto-Villa, Epône
Spinolium, Épinay-sous-Sénart
Stampensis, d'Étampes
Suessionensis, de Soissons
Syrtes, golfe de la Méditerranée sur la côte de Tripoli et de Tunis
Sanctus Deodatus, Saint-Dié
Sanctus Germanus in Lida vel in Silva, Saint-Germain-en-Laye
Sanctus Vandregesilus, Saint-Wandrille

Tolosana, Toulouse
Tullum, Toul
Tunetum, Tunis
Turones, Tours

Valles Cerneæ, les Vaux de Cernay
Vicus Novus, Vigneux
Vienna, Vienne (Isère)

Imprimé en Belgique
par Desclée & Cie, Editeurs, S.A., Tournai — 10.664

Scanné avec CamScanner

SANCTÆ TERESIÆ A IESU INFANTE

Virginis, Patronæ secundariæ Galliæ

II classis

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte.

Hymnus

Nomen decúsque cóncinant
Terésiæ almæ Vírginis
Qui sancta divi párvuli
Credunt amántque múnera.

Carméli summos vértices
Patróna Mater déligit:
Terésia illuc ádvolat,
Sponsi premens vestígia.

Affláta Iesu númine,
Secréta pandit grátiæ;
Magístra mundo símplices
Infántium docet vias.

Virtútis ipsa flósculos
Olent sacráta límina,
Quæ casta Virgo, ut ángelus
Immíssus e cælo, colit.

At iúbilum non éxprimit
Omnes amóris ímpetus;
Non septa magnos cláudere
Eius valent anhélitus.

Iesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Plácuit Deo, * qui me vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me.

In tribus Nocturnis psalmi de Communi Virginum.

Ant. 2 Ipse vero * scit viam meam, et probávit me quasi aurum, quod per ignem transit.

Ant. 3 Vestígia eius * secútus est pes meus, viam eius custodívi, et non declinávi ex ea.

℣. Exsultábo et lætábor, Dómine, in misericórdia tua. ℟. Quóniam respexísti humilitátem meam.

Pater. Absol. Exáudi.

Bened. Benedictióne.

De Cánticis canticórum

Lectio i Cap. 2, 1-6

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna

Scanné avec CamScanner

silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus eius dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam viniáriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva eius sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℟. Exsultábit cor meum, Deus, in salutári tuo: * Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi, et psallam nómini Dómini Altíssimis. ℣. Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. — Cantábo.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 2, 10-14

En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Iam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

℟. Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo: * Quia índuit me vestiméntis salútis: et induménto iustítiæ circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. In Deo salutáre meum, et glória mea: Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est. — Quia.

Bened. Spíritus.

Lectio iii Cap. 5, 1; 6, 1-3

Véniat diléctus meus in hortum suum, et cómedat fructum pomórum suórum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa: méssui myrrham meam cum aromátibus meis: comédi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comédite, amíci, et bíbite, et inebriámini, caríssimi. Diléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Ierúsalem: terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Scanné avec CamScanner

℟. Delectáre in Dómino, et dabit tibi petitiónes cordis tui: * Et edúcet quasi lumen iustítiam tuam: et iudícium tuum tamquam merídiem. ℣. Acquiésce ígitur ei, et habéto pacem, et per hæc habébis fructus óptimos. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. 4 Iurávi tibi, * et ingréssus sum pactum tecum, ait Dóminus Deus, et facta es mihi.

Ant. 5 Ego Dóminus, * Deus tuus, docens te utília, gubérnans te in via qua ámbulas.

Ant. 6 Egréssum est * nomen tuum in gentes propter spéciem tuam, quia perfécta eras in decóre meo.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Terésia a Iesu Infánte, Alensónii in Gállia, honéstis paréntibus, singulári et assídua erga Deum pietáte conspícuis, orta est. Inde a prima ætáte, divíno Spíritu prævénta, religiósam vitam ágere cupiébat. Sério autem promísit, se nihil Deo denegatúram, quod ipse ab ea pétere viderétur: quam promissiónem fidéliter usque ad mortem serváre satégit. Quinto ætátis anno, matre amíssa, Dei providéntiæ se totam commísit sub vigiláti custódia amantíssimi patris, sororúmque natu maiórum: quibus magístris, Terésia ad curréndam perfectiónis viam, ut gigas exsultávit. Novénnis virgínibus ex Ordine sancti Benedícti Lexóviis excolénda tráditur, ibíque in rerum divinárum cognitióne excéllere visa est. Décimo ætátis anno, arcánus et gravis morbus eam diu cruciávit, a quo, prout ipsa enárrat, ope beatíssimæ Vírginis, quæ eídem subrídens appáruit, et quam, sub título Dóminæ Nostræ a Victória, per novendiália invocáre stúduit, divínitus fuit liberáta. Tunc, angélico fervóre repléta, ad sacrum convívium, in quo Christus súmitur, se diligentíssime præparáre curávit.

℟. Factus est Dóminus firmaméntum meum: et edúxit me in latitúdinem: * Liberávit me, quia complácui ei. ℣. Deus qui accínxit me

Scanné avec CamScanner

fortitúdine, et complanávit perféctam viam meam. — Liberávit.

Bened. Christus.

Lectio v

Ut prímitus eucharísticо pane fuit refécta, insatiábilem cæléstis huius cibi famem haurire visa est: unde, velut inspiráta, Iesum rogábat, ut omnem mundánam consolatiónem in amaritúdinem sibi vérteret. Inde tenérrimo in Christum Dóminum et in Ecclésiam amóre exæstuans, nihil antíquius hábuit, quam Carmelitárum Excalceatórum Ordinem íngredi, ut, sui abnegatióne suísque sacrifíciis, sacerdótibus, missionáriis, totíque Ecclésiæ opem afférret, et innúmeras ánimas Iesu Christo lucrifáceret: quod iam morti próxima, apud Deum se factúram pollícita est. Propter ætátis defectum, multas ad religiósam vitam amplecténdam nacta est difficultátes, quibus tamen incredíbili ánimi fortitúdine superátis, quíndecim annos nata, Lexoviénsem Carmélum felíciter ingréssa est. Ibi mirábiles Deus in Terésiæ corde ascensiónes dispósuit, quæ, Maríæ Vírginis vitam abscónditam imitáta, quasi hortus irríguus, flores ómnium virtútum germinávit, præcípue vero exímiæ in Deum et in próximum caritátis.

℟. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui: * Et concupíscet Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Dabit cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclita próteget te. — Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Quo magis Altíssimo placéret, cum in sacris Scriptúris mónitum illud legísset: Si quis est párvulus, véniat ad me: párvula in spíritu esse vóluit, et inde filiáli fidúcia Deo, tamquam patri amantíssimo, se perpétuo trádidit. Hanc spirituális infántiæ viam, secúndum Evangélii doctrínam, álios edócuit, speciátim novítias, quas ex obediéntia ad religiosárum virtútum stúdium informándas suscépit, atque ita apostólico zelo repléta, mundo supérbia inflato et vanitátes diligénti, evangélicæ simplicitátis iter patefécit. Sponsus autem Iesus eam

Scanné avec CamScanner

patiéndi desidério, tam in ánima, quam in córpore, pénitus inflammávit. Insuper Dei caritátem undequáque negléctam animadvértens, summo dolóre affécta, duóbus ante óbitum annis, Dei miseréntis amóri se víctimam óbtulit. Tunc, ut ipsa refert, cæléstis ignis flamma vulneráta est: unde caritáte consúmpta, in éxtasim rapta, ferventíssime ingéminans: Deus meus, te díligo, vigínti quátuor annos nata, die trigésima septémbris, anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, ad Sponsum evolávit. Quod autem móriens promíserat, se perénnem rosárum plúviam in terram demissúram, hoc, in cælum recépta, innúmeris miráculis reápse adimplévit et in dies adímplet. Quam Pius undécimus Póntifex Máximus, Beátis Virgínibus adscríptam, et biénnio post, iubilæo máximo recurrénte, inter Sanctas relátam, peculiárem ómnium Missiónum Patrónam constítuit ac declarávit.

℟. Dómine, quid mihi est in cælo? et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea et cor meum: * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. ℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: quóniam dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, et déxtera tua suscépit me. — Deus. Glória Patri. Deus.

In III Nocturno

Ant. 7 Signa et mirabília * fecit apud me Deus excélsus: et Altíssimo benedíxi, et vivéntem in sempitérnum laudávi et glorificávi.

Ant. 8 Absit autem a me, * ut cessem oráre pro vobis; et docébo vos viam bonam et rectam.

Ant. 9 Ego deprecábor Dóminum, * et ad Deum ponam elóquium meum: qui facit magna et inscrutabília, et mirabília absque número.

℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini eius, quóniam suáve.

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 18, 1-4

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Iesum, dicéntes: Quis, putas, maior est in regno cælórum? Et réliqua.

Scanné avec CamScanner

Homilía sancti Leónis Papæ

Sermo 37. in Epiphaniæ solemn. 7, cap. 3-4

Tota, dilectíssimi, christiánæ sapiéntiæ disciplína, non in abundántia verbi, non in astútia disputándi, neque in appetítu laudis et glóriæ, sed in vera et voluntária humilitáte consístit, quam Dóminus Iesus Christus ab útero matris usque ad supplícium crucis pro omni fortitúdine et elégit et dócuit. Nam, cum discípuli eius inter se, ut ait Evangelísta, disquírerent quis eórum maior esset in regno cælórum, vocávit párvulum, et státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cælórum. Amat Christus infántiam, quam primum et ánimo suscépit et córpore. Amat Christus infántiam, humilitátis magístram, innocéntiæ régulam, mansuetúdinis formam. Amat Christus infántiam, ad quam maiórum dírigit mores, ad quam senum redúcit ætátes; et eos ad suum inclínat exémplum, quod ad regnum sublímat ætérnum.

℟. Dómine, super senes intelléxi: quia lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis: * Declarátio sermónum tuórum illúminat, et intelléctum dat párvulis. ℣. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitátem díligas. — Declarátio.

Bened. Cuius festum... ipsa.

Lectio viii

Ut autem plene valeámus agnóscere quómodo apprehéndi possit tam mira convérsio et in puerílem gradum qua nobis mutatióne redeúndum sit, dóceat nos beátus Paulus, et dicat: Nolíte púeri éffici sénsibus, sed malítia párvuli estóte. Non ergo ad lúdicra infántiæ et imperfécta nobis primórdia reverténdum est, sed áliquid, quod étiam graves annos déceat, inde suméndum, ut velox sit commotiónum tránsitus, citus ad pacem recúrsus: nulla sit memória offensiónis, nulla cupíditas dignitátis; amor sóciæ communiónis, æquálitas naturális. Magnum enim bonum est nocére non nosse et malígna non sápere; quia inférre ac referre iniú-

Scanné avec CamScanner

riam, mundi huius prudéntia est; némini autem malum pro malo réddere, christiánæ est æquanimitátis infántia.

℟. Suscípiat ánima vestra disciplínam, in próximo est enim invenire eam: * Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. ℣. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo. — Vidéte. Glória Patri. Vidéte.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Ad hanc vos, dilectíssimi, similitúdinem parvulórum mystérium hodiérnæ festivitátis invítat; et hanc vobis humilitátis formam adorátus a Magis puer Salvátor insínuat: qui, ut imitatóribus suis quid glóriæ paráret, osténderet, ortus sui témpore éditos martýrio consecrávit; ut in Béthlehem, ubi Christus natus est, géniti, per communiónem ætátis consórtes fíerent passiónis. Amétur ígitur humílitas, et omnis a fidélibus vitétur elátio. Alter álterum sibi præferat, et nemo quod suum est quærat, sed quod altérius; ut, cum in ómnibus abundáverit afféctus benevoléntiæ, in nullo virus inveniátur invídiæ; quóniam qui se exáltat, humiliábitur, et qui se humíliat, exaltábitur, eódem ipso testánte Dómino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Psalmi de dominica.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei: et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui: quia complácuit Dómino in te.

4 Dóminus fáciet tecum * misericórdiam, et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam iustítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capitulum Is. 66, 12

Hæc dicit Dóminus: Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem

Scanné avec CamScanner

inundántem, glóriam géntium, quam sugétis: ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

Imménsa Christi cáritas
Maióra cogit ággredi
Apostolórum et Mártyrum
Auctam coróna vírginem.

Optans amóris víctima
Ex igne adúri mýstico,
Sponsum precátur últimas
Flammas vorántes éxcitet.

Æternitátis núntia
Optáta mors iam pérvenit:
Hæc íngemens: Te díligo!
Terésia ad Christum émigrat.

Cæléstibus nunc gáudiis
Fruens, ab arce síderum
Quas lárgiter promíseras,
Rosas meménto spárgere.

Tu corde Rex mitíssime,
Qui párvulis regnum paras,
Nos hanc secútos íngredi
Præsta beáta límina.

Iesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam.
℟. Et Deus tuus in glóriam tuam.

Ad Bened. Ant. Réquiem tibi dabit * Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam; et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cuius non defícient aquæ.

Oratio

Dómine, qui dixísti: Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum: da nobis, quæsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut prǽmia consequámur ætérna: Qui vivis.

Ad Horas minores antiphona et psalmi de feria currenti.

AD TERTIAM

Capitulum Hæc dicit, ut supra.

℟. br. Exsultábo et lætábor, Dómine, * In misericórdia tua. Exsultábo. ℣. Quóniam respexísti humilitátem meam. In. Glória Patri. Exsultábo. ℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

AD SEXTAM

Capitulum Is. 66, 13

Quómodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Ierúsalem consolabímini.

Scanné avec CamScanner

℟. br. Anima mea * Exsultábit in Dómino. Anima. ℣. Et delectábitur super salutári suo. Exsultábit. Glória Patri. Anima.

℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini eius, quóniam suáve.

Oratio

Dómine, qui dixísti: Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum: da nobis, quæsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut præmia consequámur ætérna: Qui vivis.

AD NONAM

Capitulum Is. 66, 14

Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt; et cognoscétur manus Dómini servis eius.

℟. br. Laudáte Dóminum, * Quia bonus Dóminus. Laudáte. ℣. Psállite nómini eius, quóniam suáve. Quia. Glória Patri. Laudáte.

℣. Dóminus facit mirabília magna solus. ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia eius.

AD VESPERAS

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Psalmi de Communi festorum B. Mariæ Virginis.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei: et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui: quia complácuit Dómino in te.

4 Dóminus fáciet tecum * misericórdiam, et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam iustítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capitulum Is. 66, 12

Hæc dicit Dóminus: Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis: ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

Luce divína rutilántis aulæ
Sédibus, Virgo, frúeris, secúndans

Scanné avec CamScanner

Vota, promísso réfoves precántes
Imbre rosárum.

Sint rosæ nobis fídei supérnæ
Lumen affúlgens, columénque rebus
Spes in advérsis, et amóris almi
Vívida virtus.

Sint rosæ nobis tuus ille fidens
Candor infántis Dómino, patérno
Grata qui præbet vel acérba nostræ
Númine vitæ.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cuius résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

Ad I Vesperas

(sicubi dicendæ occurrunt)

℣. Ego autem in Dómino gaudébo. ℟. Et exsultábo in Deo Iesu meo.

Ad Magnif. Ant. Ego Dóminus * sponsábo te mihi in sempitérnum: et sponsábo te mihi in iustítia et iudício, et in misericórdia et in miseratiónibus: et sponsábo te mihi in fide.

℣. Manus Dómini confortávit te. ℟. Et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Benedíctus Dóminus, * quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Completorium de dominica.

Die 6 novembris

In ecclesiis consecratis, quando huius consecrationis dies non est certa et nota,

DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ

I classis

Quando huius consecrationis dies est certa et nota, hac ipsa die, servatis servandis, anniversarium Dedicationis faciendum est.

Officium ut in Communi Dedicationis ecclesiæ.

Scanné avec CamScanner

Die 1 octobris

S. REMIGII
Episcopi et Confessoris

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Remígius, adhuc iúvenis, ob matúras virtútes ad Rheménsem cáthedram adéptus est. Francórum gentem, quorum regem Clodovæum sibi conciliáverat, ad Christi fidem perdúxit. Cum Tolbiáci Alemánnis iam céderent Franci, Clodovæus, invocáto nómine Dei Clotíldis regínæ, quæ erat christiána, statim hostes fugávit. Suadénti epíscopo ut baptizarétur, respóndit rex se veréri ne pateréntur commilitónes ut deos pátrios relínqueret; sed exércitus eiúsdem fídei amplecténdæ studiósum se significávit. Ipsa ergo die Natáli Dómini, paucis annis ante sæculi quinti finem, Clodovæus Rhemis, ut vidétur, baptizátus est, simúlque tria míllia mílitum. Exímia fuit Remígii epíscopi erga páuperes liberálitas et cleméntia in pæniténtes singuláris: "Neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam sed ad hóminum curam." Cum Eccléesiam suam septuagínta saltem annos prudénter rexísset, Rhemis obdormívit in Dómino die décima tértia ianuárii. Eius tamen memória die prima octóbris recólitur, quando sacrum ipsíus corpus fuit translátum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Præsul Remígius * baptísmi témpora præparávit; et implétis mýsticis sacraméntis, regem cum pópulo baptizávit.

Oratio

Deus, qui per beáti Pontíficis Remígii documénta, gentem Francórum ab idolórum vanitáte ad veritátem tui cultus veníre tribuísti: da, quæsumus; ut qui nómine christiáno gloriámur, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Gentem * Francórum ínclitam, simul cum rege nóbili, beátus Remígius sacro mundávit gúrgite, et Spíritus Sancti plene ditávit múnere.

Scanné avec CamScanner